



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 46. Papa in Germania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

inde auri vim abvexerat. In illa urbe Archiepiscopus sedebat, in eaque plus quam quadringentæ Ecclesiæ numerabantur. Rufforum victor Boleslaus Ecclesias in Polonia a Miecislao, parente suo, fundatas, agros, integras civitates, vasa aurea & argentea omniaque Divina Officia peragentibus necessaria contulit. Decimas dari iussit, & complures novas parochias instituit.

Sæculum XI.
A.C.1020.

At decimarum exactio paulo post in Polonia Rem Christianam tantum non evertit. Nam reclamabant Proceres; Christianæ Religionis jugum esse intolerabile. Animus erat, ad Ecclesias se non amplius conferre, sed ejectis Presbyteris & Clericis ad pristinas Superstitiones redire. Boleslaus, ubi conjurationem comperit, auctoribus vinciri iussis, atque non nullis interfectis, malum antevertit.

§. XLVI.

Papa in Germania.

Benedictus VIII. Papa secundo in Germaniam profectus, forte auxilia contra Græcos acceleraturus, Bambergæ cum Henrico Imperatore Cœnam Domini & Festum Resurrectionis, quod anno millesimo vigesimo in decimam septimam Aprilis incidebat, celebravit. Dominica sequente Pontifex Ecclesiam S. Stephani consecravit; Imperator vero civitatem

*Chron. Sax. vita S. Mein-
ver.n.82.vit.
S. Henri.vit.
S. Chun. 3.
Mart. Boll.
to. 6. p. 272.*

H 4 Bambergæ

Sæculum XI. Bambergensem Ecclesiæ Romanæ donavit, constituitque, ut in censum annuum equus candidus, cum instructu magnifico, & centum marcæ argenti, (*) Romam mitterentur.

Conjectura est, Henricum Imperatorem illo tempore, quo Papa apud ipsum commorabatur, confirmasse Acta, quibus Antecessores sui Ecclesiæ Romanæ, Urbem, Exarchatum Ravennatensem, totque alias in Italia Ditiones donaverunt. Decretum Donationis Henricianæ descriptum videtur ex Decreto Ottonis I. atque ex eo, sicut ex præcedentibus Actis, supremæ potestatis jura Imperatori reservata dispiciuntur. Decreto Henrici II. subscripserunt, ipse Henricus Imperator, tum Episcopi duodecim, omnes Germani, quorum præcipui erant, Archambaldus Moguntinus, Heribertus Colonienfis, Poppo Trevirensis, Theodoricus Mentensis, & Eberhardus Bambergensis. Apposita etiam sunt nomina trium Abbatum &

(*) In Eminentissimo Cardinali hic additum legimus: *Postmodum Leo IX. Papa, Vicarius gratia, loco scilicet ipsius, Beneventum ab Henrico Conradi filio accipiens, prædictum Bambergense Episcopium sub ejus ditione remisit, & quo tantum, quem prædicimus, sibi servato. Hæc Leo Ostiensis. Hodie, nec equi ulla memoria.*

& quorundam Optimatum. Ceterum Sæculum XI.
A.C. 1020.
Papa donis cumulatus Romam rever-
sus est.

§. XLVII.

Concilium Ticinense.

Præterea conijcere licet petiisse Papam, tom. 9. Conc.
p. 819.
cum in Germania versaretur, ut Im-
perator confirmaret Concilium, Ticini
habitum prima die Augusti, cui Ponti-
fex præfuerat. Actis hujus Concilii, quæ
nobis supersunt, præmittitur prolixus
Summi Pontificis sermo, in quo queritur,
quod pravi Clericorum mores Ecclesiam
commaculent, ipsi amplissima ejus pa-
trimonia, a munificentia Principum ac-
cepta, pessumdent, publice mulieres
alant, & Bona Ecclesiæ infames patres
infamibus filiis conferant. Postea osten-
dit Clericos ad servandam continentiam
teneri ex Canone Concilii Niceni, quo
statuitur, nec licere quidem Clericis in
una domo cum mulieribus habitare;
Item ex Decretalibus S. Siricii & S. Leo-
nis, quorum primus carnale connubium
etiam Subdiaconis interdicit. Posita ita Sup. lib.
XVIII. §.
35. l. XXV.
§. 53.
que Regula Generali; Clericorum filios
post susceptos Ordines natos, esse ille-
gitimos, de illis differit, quos Clericus,
natus Ecclesiæ Servus, ex commercio
cum femina libera habuisset. Dicebant
enim non nulli, hos filios liberos esse
H s natos,